



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXLIX. Christus Legisperito se tentanti respondet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

(perditas & fractas vires reparando medicamentis  
& Solatijs Spiritualibus, leviúsque jugum vobis im-  
ponendo) *Tollite Jugum meum super vos* (Legem & Di-  
sciplinam Evangelicam) *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Peccatores enim & mundani homines  
gravissimam servitutem serviunt pro fallacibus di-  
vitijs, ac transitorijs voluptatibus; & pro his maxi-  
mas molestias, ac Conscientiæ remorsus subeunt; Legem  
autem Evangelicam, & Studium Perfectionis Christia-  
næ Jugum quidem appellatur & onus; sed per auxi-  
lia Gratiæ, Quietem animi, & Solatia Spiritualia fit  
Suave & leve. Compara itaque inter se Jugum  
Christi, & Jugum, quod Diabolus ac Mundus Servitutem  
suis imponunt, & videbis, istos longè graviora pati  
sine vero gaudio, lucro aut præmio; imò cum magno  
suo damno & interitu.

PUNCT. III. *Et discite à me: quia Mitis sum, & Humilis corde: & invenietis requiem Animabus vestris.* Matth. 11. v. 29. Hæ duæ Virtutes, quando ex corde procedunt, experienciâ docent, quàm suave sit Jugum Christi, & leve onus, & quanta animus quiete ex illis perfruatur. Vicissim expende, quas animi acerbitates, tristitias, turbationes &c. patiantur iracundi, & superbi.

## MEDITATIO CCCXLIX.

*Christus Legisperito se tentanti  
respondet. Luc. 10. v. 25.*

PUNCTUM I. *Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo Vitam*  
(Æternam

*Æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legi? Luc. 10. v. 25. Fraudulenter, & insidiosè interroganti Christus mansuetè & syncerè respondet, & docet modum consequendi Vitam Æternam, eumque in duobus constituit, scilicet in observatione Legis quoad substantiam, & quoad modum; ut scilicet nihil omittatur ex eis, quæ ad modum observandæ Legis spectant; idcirco non tantum quærit; In Lege quid scriptum est? sed etiam: Quomodo legi? Et quia Legis peritus diligenter observavit particulas modum statuentes, scil. Ex toto corde: &: Ex omni mente tua. Ideo concludit Christus v. 28. Hoc fac, & vives. Imitare Christi Mansuetudinem & synceram Charitatem erga aversos à te, minusque synceros homines; & exequere ea, quæ Christus syncerè respondit.*

PUNCT. II. *Ille respondens dixit; Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & Proximum tuum, sicut teipsum. v. 27. Unde considera, nihil esse amandum præter DEVM, aut non nisi propter DEVM; &, ut totus ac omnis Amor noster in DEVM feratur, nec Proximum propter aliam causam esse amandum; adeoque ad DEVM omnes operationes cordis, seu voluntatis rationalis, ac animæ sensitivæ, potentialiumque tam à Corpore dependentium, quam non dependentium, esse referendas, ut omnes conformentur Divino Beneplacito, & unicè ad DEI Honorem, velut ad Finem Ultimum tendant. Hoc fac, & vives.*

PUNCT. III. *Ille autem volens justificare seipsum (vel enim Christi responsione subito immutatus est, ut*  
feriò

serio & ex amore Justificationis suæ nunc quæreret  
vel quærendo voluit videri amans & cupidus Justifi-  
cationis suæ) dixit ad *JESUM*: *Et quis est meus Proxi-*  
*mus?* De hoc enim inter Judæos erat controversa.  
Aliqui ex illo Levitici c. 19. v. 18. *Diliges Amicum tuum*  
*sicut teipsum*, colligebant, solum Amicum dici Proxi-  
mum, & præcipi diligendum: unde omnes infideles  
& gentiles inferebant odio habendos. Non sic  
vocabulum generale *Proximi* restringas ad privatos  
Amicos, Consanguineos, Populares, benefactores,  
adulatores &c. Nec alios à dilectione excludas, præ-  
sertim eos, qui te offenderunt.

## MEDITATIO CCCL.

*De Samaritano ab Jerusalem*  
*in Jericho descendente. Luc. 10. v. 30.*

**P**UNCTUM I. *Suscipiens autem JESVS dixit: Homo*  
*quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit*  
*in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis imposi-*  
*tis abiérunt, semivivo relicto. Luc. 10. v. 30.* Hæc est ve-  
ra Idea hominis, à statu Gratia (qui est *Viso Paris*,  
per nomen *Jerusalem* significata) recedentis, & in  
mortale peccatum sese demittentis, per *Jericho*, quæ  
Vox *Lunam* denotat, expressum. Stultus enim pec-  
cator, ut Luna mutatur. Latrones autem sunt da-  
mones, vel homines, qui in peccatum induxerunt,  
per quod homo privatur Gratiâ, sive *Veste Nuptiali*  
Animæ, & omnibus Habitibus Supernaturalibus, ac  
Bonorum Operum meritis: & ita Animæ suæ viri-  
bus ex plaga peccati destituitur, ut à morte æternæ  
damna-